



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXV. Argumentum. Utrùm Parochus moribundus, deficiente quocunque alio Presbytero, possit sibi ipsi ministrare Sacramentum Extremæ Unctionis? disputatur in hac Decisione. Tres rationes Dianæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

rientia nos docet) parentes, ut plurimum, amare magis corpora, quam animas infirmorum; & ideo, quando agitur de Extrema Unctione illis ministranda, clamant, & usque ad ultimum differre volunt. Quapropter Parochus non acquiescat negativæ parentum infirmi inungendi, cum videt eum in periculo mortis constitutum, nec flectatur eorum contradictionibus, sed consulat suæ conscientiæ, & animæ ægroti, ipsumque hoc Sacramento muniat; obijciatque illis quatenus opus sit, exemplum S. Malachia descriptum à S. Bernardo Abbate, & relatum à Surio in vita ejusdem Sancti Malachia tom. 6. die 5. Novembr. pag. 34. tum à Gobato d. 35. tract. 8. num. 934. his verbis: *Habitabat Vir nobilis in vicinia Benchoensis Monasterii, cujus uxor cum ægrotaret ad mortem, rogatus Malachias ut descenderet, priusquam moreretur, infirmam uncturus Oleo; descendit, & intravit ad eam; & cum pararet ungere illum, visum est omnibus differendum usque mane, erat enim Vespera. Acquivit Malachias, & data benedictione super agram exivit cum his, qui secum erant. At verò post modicum subito clamor factus est, & strepitus multus per totam domum; siquidem insomniavit, quod mortuus esset. Accurrit Malachias tumultu audit, & secuti sunt eum discipuli ejus, & accedit ad lectum; ut verò expirasse comperit, consternatus est animo, sibi imputans (notent Parochi) quod fraudata gratia Sacramenti obierit, & elevatis manibus: Obsecro Domine, inquit, inspicienter egi. Ego, ego peccavi, non ista, qua noluit. Hac dicens contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturum consolationem, nullam requiem daturum spiritui suo, nisi quam tulerat, liceret gratiam restituere. Prosequitur Auctor narrare, quod S. Malachias totam noctem consumpsit in lacrymis, & oratione; & mane facto, quæ fuerat mortua, aperuit oculos, ac revixit; Sacramentum Extremæ Unctionis recepit, cujus virtute etiam corporis sanitatem obtinuit. Oh quanti moriuntur, prout hæc mulier ob tarditatem Curatorum sine Extrema Unctione, qui non refurgunt ad illam recipiendam!*

Inconveniens secundum ex eadem tarditate est, quod quamvis ægroti non moriantur sine hoc Sacramento, illud tamen obtinent cum minori fructu, dum inunguntur, quando rationis usum amiserunt, & sensibus sunt destituti. Plures sunt rationes hujus inconvenientis demonstrativæ. *Prima*, quia detrahitur reverentiæ hujus Sacramenti, cum nullam erga illud possit exercere agonizans, nesciens quid agatur. *Secunda*, quia privatur robore, & auxilio ad resistendum tentationibus diaboli. *Tertia*, quia defraudatur spe salutis corporalis; quamvis enim hoc Sacramentum supernaturaliter juret ad recuperandam sanitatem, non tamen est contentaneum expectare tempus, in quo necessarium sit miraculum ad sanitatem obtinendam; nam hoc est quodammodo tentare Deum, & virtutem Sacramenti velle experiri. Ita Pitigianus apud Dianam Coordinatum d. tom. 2. tract. 4. resol. 36. ubi etiam Sotus in 4. Sent. dist. 23. q. 2. art. 2. & Joan. de la Cruz, in direct. Conscien. part. 2. dub. 3. concl. 3. Quibus adhærent Quintanadvenas d. tract. 5. de Extrem. Unct. singular. 8. Gobatus eod. tract. 8. n. 876. & 936. ac Bonacina disp. 7. quest. Unica punct. 5. num. 7. ubi plurimos hoc idem docentes cumulat.

Postremò corollarii gratia, circa hanc circumstantiam temporis duo scitu digna sunt obiter notanda, *Unum*, quod in Hispania ex Concilio To-

letano XIII. Oleum Sanctum dari debebat infirmis illud postulantibus, & dum essent mentis compotes, quia si supervivebant, ac sani fierent, remanebant, perpetuo Dei obsequio dedicati. Ita Magrius in Hierolexic. Verb. Oleum Sanctum col. 2. Alterum, quod tempore generalis, localisque Interdicti prohibita est Extrema Unctio per tex. in cap. Quod in te. De Pœnit. & Remissi. nisi infirmi sint Privilegiati, quales sunt Religiosi, & nisi non potuissent recipere Sacramentum Pœnitentiæ; in hoc enim casu, cum Extrema Unctio per solam attritionem infirmi apta sit deletere peccata etiam mortalia, consentiunt omnes Doctores, quod possit etiam hoc tempore iisdem infirmis ministrari. Suarez de Extrem. Unct. disp. 41. sect. 1. num. 19. Tamburin. eod. tract. lib. 6. cap. 4. Diana part. 3. tract. 4. resol. 170. nec non part. 5. tract. 10. resol. 78. repositus in Coordinato tom. 2. tract. 4. resol. 32. & 33. ubi alios DD. allegat,

DECISIO LXXV.

ARGUMENTUM.

Utrum Parochus moribundus, deficiente quocunque alio Presbytero, possit sibi ipsi ministrare Sacramento Extremæ Unctionis? disputatur in hac Decisione. Tres rationes Dianæ pro negativa opinione. At pro Affirmativa, quæ amplectitur, rationes decem ex Theologia, Jure Canonico, Scriptura Sacra, ac Medicina desumptæ.

SUMMARIUM.

- 1 Parochus moribundus, absente omni alio Sacerdote, an sibi possit ministrare Oleum Sanctum?
- 2 Rationes pro negativa opinione. Et num. 4. pro affirmativa.
- 3 Baptizare seipsum nemo potest. Et num. 28.
- 5 Sacramentum ibi fit, ubi est debita Materia, Forma, & Minister.
- 6 Plus cui licet, non est prohibitum minus.
- 7 Eucharistiæ extra Missam de per se Sacerdos sumere potest.
- 8 Medicus ægrotans an sibi ipsi possit mederi?
- 9 Asclepiadis Medici cura, & mors.
- 10 Medicina spiritalis est Extrema Unctio.
- 11 Esse primum habens debet habere primum frui.
- 12 Executor testamentarius quando possit retinere sibi eleemosynam relictam pro pauperibus?
- 13 Sacramenta sunt capitale pretiosissimum comparatum meritis Christi.
- 14 Sacerdotes sunt tanquam Executores testamentarii Christi.
- 15 Causa, quæ possent impedire, ne Sacerdos sibi det Extremam Unctionem.
- 16 Sacerdotis officium est petere à Deo veniam de peccatis.
- 17 Papa potest sumere pro seipso Indulgentiam aliis concessam.
- 18 Presbyteri sunt ministri Extremæ Unctionis.
- 19 Ministri in Sacramento Matrimonii sunt ipsi sponsi. Et num. 32.
- 20 V. duo ab Eliseo ditare Oleo Mystico significatio.

- 21 Humanior sententia amplectenda, ubi jus non contradicit.
- 22 Dubia in benigniorem partem resolvenda.
- 23 Interpretatio plenissima facienda est in beneficiis.
- 24 Pluralis numerus significat etiam singularem.
- 25 Latrones, id est unus ex latronibus blasphemabat Christum.
- 26 Persona una, & eadem potest gerere vicem duarum.
- 27 Extrema Unctio datur per verba deprecatoria ad Deum.
- 28 Baptizare seipsum cur nemo possit? redditur ratio.
- 29 Absolvere sacramentaliter seipsum nullus valet. Et cur?
- 30 Sacramenta consentia in usu quando requirant ministrum alium à suscipiente?
- 31 Confirmare, nec ordinare seipsum nullus potest.
- 32 Opinio damnata, de relinquenda tutiori circa Sacramenta.
- 33 Opinio tutior, & probabilior quænam sit?
- 34 Opinio minus probabilis in Extrema necessitate eligi potest.
- 35 Medicina dubia adhiberi potest agro periclitante.

Sed antequam à causa efficiente ad suscipientem transeamus, videlicet à Ministro hujus Sacramenti ad subjectum, seu pers. nam, cui est conferendum, resolvenda est satis curiosa quæstio attingens eundem Ministrum, quæ est hujusmodi. Parochus in montanis curam, & residentiam habens distat ab aliis Ecclesiis, per quatuor milliaria, & ultra. Nullum habet Sacerdotem, à quo tempore suæ infirmitatis Sacramenta recipiat, nisi aliquem ex comparochis distantibus sibi asciscat. Hunc Parochum ex abrupto aggreditur mortalis morbus angina, seu inflammatio maxima faucium, & laryngis; adeo ut paucas post horas moribundus efficiatur, cum totali respirationis, & deglutionis impedimento. Sentiens se penitus suffocari, nec habere tempus expectandi alium Sacerdotem, animam suam Deo, omni meliori modo, quo potest, commendat; & habens in cubiculo Oleum Sanctum, sibi ipsi cum illo dat Extremam Unctionem, solitos sensus inungens proferendo formam consuetam, *Indulgeat mihi Dominus*, & dicendo *quidquid per visum*, (absque sensu respectivè, dum illos inungit) deliqui. Quæritur, an validè, & licitè prædictus Parochus Sacramentum Extremæ Unctionis impertiat sibi? Ad hunc casum, quem solum Dianam, & Mercerus ab eo citatum examinare reperio, & quos refert Lezana in *Summ. p. 3. V. Extrema Unctio num. 18*. ab iisdem respondetur negativè, his rationibus. 1. Quia S. Jacobus satis indicat diversas esse personas infirmi, & Presbyteri uncturi, 2. Quia substantialiter mutatur forma quoad significationem Verborum, non enim idem est; *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti. Et indulgeat mihi quidquid deliqui*. Sicut esset mutatio substantialis, si quis diceret *Baptizo me*, ut docet S. Thomas in 3. p. q. 66. art. 5. ad 4. 3. Quia Sacramenta, quæ perficiuntur ipso usu, requirunt ministrum à suscipiente diversum. Ita Diana Coordinatus tom. 2. tract. 4. resol. 41. desumpta ex veteri part. 5. tract. 3. resol. 95. ubi citatur Mercerus idem docens in 3. part. de Sacramentis quæst. 32. art. 5.

His tamen non obstantibus probabilior cen-
4 seo affirmativam opinionem; mihi enim videtur in

præmissis necessitatis casu, & deficiente omni alio Sacerdote, Parochum moribundum validè ac licitè sibi ministrasse Extremæ Unctionis Sacramentum ex sequentibus considerationibus, ac argumentis.

Primò, quia ubi intervenit Materia, Forma, ac Minister proprius uniuscujusque Sacramenti, ibi validè, ac licitè ministratur idem Sacramentum. Sed in hoc casu prædicta tria interveniunt; quia Parochus hic moribundus utitur Oleo Sacro, proferit solitam formam à Rituali præscriptam; & ipse est ex officio Minister hujus Sacramenti. Ergo absentibus aliis Sacerdotibus, validè, & licitè illud ministrat sibi.

Secundò: Cui licet, quod est plus, prohibitum non censetur quòd est minus. l. Non debet. ff. de Reg. jur. cap. Cui licet 5. eod. tit. in 6. Barbosa Axiom. 180. num. 2. ubi DD. Sed Sacerdoti, in aliorum absentia, licet sibi ministrare Sacrosanctam Eucharistiam extra Missam, ut probavi de Venerabili Euchar. Sacram. Decis. 29. & ibi Diana Coordinatus 7 d. tom. 2. tract. 2. resol. 39. collecta ex veteri part. 11. tract. 7. resol. 42. Emin. Card. de Lugo de Euchar. disp. 18. n. 28. & de Lauræ eod. tract. disp. 24. num. 67. & 68. Ergo etiam Sacramentum Extremæ Unctionis sibi ipsi præbere, licebit, potissimum in casu extremæ necessitatis.

Tertiò: Nemo inficiatur, licitum esse Medico sapienti, sibi, dum ægrotat, præscribere, ac porrigere medicinam. Ita notat Zachias in Q. Q. Medicolog. tom. 1. libr. 6. tit. 1. quæst. 7. num. 31. & ratio manifesta est; quia qui scit, & potest mederi aliis, non censetur prohibitus mederi sibi. Imò Medicus tanquam talis obligatus videtur, ad sibi ipsi medendum; juxta illud adagium à divino Redemptoris ore prolatum, *Medice cura te ipsum. Luc. 4. 23*. Hinc de quodam Aesclepiade Medico scribit Plinius libr. 25. cap. 2. quòd se jactabat nullius alterius Medici ope indigere, & seipsum sola arte sua ab omni infirmitate præservare, nec vanum locutus, quia ad summam pervenit senectutem, & de scala prolapsus obiit non ex infirmitate, sed ex illusione capitis in terram. Sacramentum Extremæ Unctionis est medicina à Christo Domino instituta ad alleviandam animam fidelem ab infirmitate tum spiritali ob reliquias peccatorum, tum corporali urgente aliquo gravi morbo, ut declaratum est in Sacro Concilio Tridentino sess. 24. de Extr. Unct. cap. 1. Medicus ordinarius pro hoc pharmaco cœlesti exhibendo fidelibus periculose ægrotantibus est omnis Sacerdos quo ad characterem: & omnis Parochus quo ad officium, ac Jurisdictionem. Sicut igitur prædictus Parochus est Medicus ordinarius spiritalis pro danda hac cœlesti medicina Extremæ Unctionis omnibus suis Parochianis graviter decumbentibus, poterit etiam eandem sibi validè, & licitè ministrare in extremo vitæ, potissimum absentibus aliis Medicis similibus, nempe Sacerdotibus, à quibus possit eam petere, & obtinere. Facit dictum Baldi in l. Si plures, C. de Condit. insert. videlicet *Qui habet primum esse, habere debet primum frui*. In ordine medendi infirmis in anima, & in corpore cœlesti hoc Sacramentum, primus omnium est Parochus, ut probatum est supra Decis. XI. num. 11. Ergo debet etiam esse primus in fruendo ejusdem Medicinæ beneficio in proposito casu, eam sibi ipsi applicando, sin ullus alius repeririatur Sacerdos, qui illam porrigat.

Quartò: Si quis relinquatur Sacerdos, qui illam porrigat mentarius cum facultate dispensandi magnam pecuniæ

- pecunia quantitate pro elemosyna pauperibus, potest aliquam partem ejusdem pecunie sibi applicare, si verè sit pauper, & indigeat, ut docet S. Thomas 2. 2. *quest.* 32. *art.* 9. ad 3. & ibi Cardinal. Cajetan. Navarrus, Menochius, Vega, Cardin. Toletus, & alii Theologi, Canonistæ, ac Jurisconsulti, quos citat, ac sequitur Sanchez in *Decalog. libr.* 6. *cap.* 11. *num.* 54. cui adhæret Collegium Salmanticense in cursu Theologiæ Moralibus tom. 3. *tract.* 14. de *Contradict.* *cap.* 5. de *Testament.* *num.* 168. Hujusmodi facultatis duæ sunt principales rationes: Una, quòd ipse Executor non debet esse deterioris conditionis, quàm sint alii pauperes in recipienda ipsa elemosyna. Altera, quòd idem executor repræsentat duas personas; illam scilicet testatoris in elemosyna elargienda; & suam ipsius tanquam egeni in eadem elemosyna recipienda. l. *Unum ex familia*, §. *Sine falcidia* ff. de *Legat.* 2. Sanchez d. *num.* 54. Modò septem Sacramenta Ecclesiæ sunt capitale quoddam pretiosissimum comparatum Sanguine, ac meritis Jesu Christi Redemptoris nostri ad subveniendum indigentis spiritualibus totius Ecclesiæ, juxta illud Principis Apostolorum, *Scientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis &c.* Sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi. 1. *Petr.* 1. 18. Capitale hoc, seu thesaurum Christi Dominus elargiendum misericorditer animabus indigentibus consignavit Sacerdotibus, quos tanquam suos executores testamentarios ad hunc effectum constituit, dicens Apostolo Paulo: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. *Corinth.* 4. 1. Igitur Parochus moribundus, de quo in casu proposito, cum summe egeat auxilio thesauri prædicti, meritum scilicet Christi, ac ejus pretiosi Sanguinis per applicationem Sacramenti Extremæ Unctionis, cujus ex officio est distributor, poterit illud sibi applicare, quocunque alio Sacerdote deficiente, ad levamen suæ spiritualis indigentiae, ad obtinendam venialium culparum remissionem, ad corroborandam animam suam contra insultus diaboli, & ad alios saluberrimos effectus ejusdem Sacramenti consequendos: Si quidem nihil impedit, quòd duarum personarum vicem gerat: Unus tanquam Sacerdotis, & Parochi in dando sibi hoc Sacramentum; alterius, uti infirmi, & in extremo vitæ constituti, illudmet recipiendo.
- Quintò: Si quid obstarè ne Sacerdos in casu extremæ necessitatis neque validè, neque licitè sibi conferret Sacramentum Extremæ Unctionis, illud esset, vel ob irreverentiam Sacramenti, vel ob indecentiam status Sacerdotalis; vel ob incongruitatem verborum, quæ pro forma ejusdem Sacramenti proferuntur. Sed nullum horum dici potest intervenire, dum Sacerdos moribundus seipsum Sacramentaliter ungit. Non Sacramenti irreverentia quia devotè illud suscipit & illud sibi ministrat virtute characteris Sacerdotalis, & Pastoralis officii, quod habet. Non indecentia sui status, quia etiam Sacerdotibus graviter decumbentibus hoc Sacramentum conceditur. Non incongruitas in verbis formæ ejusdem Sacramenti. Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulget mihi Dominus quicquid &c. deliqui: tum quia hæc forma deprecatoria est, petens humiliter à Deo remissionem culparum, & levamen à poenis debitæ ob ipsas culpas; est autem officium pro-

Doct. Clericali Tom. 1, Liber 1.

prium Sacerdotum Deum suppliciter petere, ut 16 peccatoribus parcat, juxta illud: *inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce Domine &c.* Joel. 2. 17. Imò pro propriis delictis orare, ut ait *Ecc.* 39. 7. *Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur*; tum etiam quia quotidie in Missa Sacerdos ex officio poscit à Deo, ut indulgeat sibi omnia peccata sua, videlicet post Confessionem ascendendo ad altare, & dum illud osculatur dicendo: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquia hic sunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.* Igitur si tanquam Sacerdos vestibus Sacris indutus, incepta Missa, orat Deum, ut ei indulgeat omnia peccata sua; cur velimus asserere illicitum, aut prohibitum esse eidem Sacerdoti in articulo mortis, aliis Mystis absentibus, induere Cottam, & Stolam, ac sibi Sacramentum Extremæ Unctionis ministrare; cum ejus forma consistat in orando Deum, ut per illam Sanctam Unctionem, ac suam piissimam misericordiam indulgeat ei quicquid per sensus, quos linit Oleo Sacro, deliquit?

Sextò facit, quòd Pontifex, qui concedit Indulgentiam aliis, potest etiam illam sumere pro se ipso, ut docent S. Thomas in 4. *dist.* 20. *art.* 5. 17 *quest.* 4. Eminentiss. Cardin. de Lugo de *Sacram. Penit. disp.* 27. *num.* 6. Gobatus in *Quinario tract.* 4. *num.* 260. scilicet jejunando, & adimplendo ea, quæ mandavit adimpleri pro consequutione illius Indulgentiæ. Ergo etiam Parochus, qui jurisdictionem habet, & facultatem impetrandi indulgentiam culparum Venialium suis Parochianis periculose decumbentibus, ministrando illis Extremam Unctionem, poterit etiam sibi graviter decumbenti eandem indulgentiam lucrari, ministrando sibi Extremæ Unctionis Sacramentum.

Septimò: S. Jacobus in promulgando hoc Sacramentum genericè dixit: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* ad demonstrandum, 18 quòd qui sunt Presbyteri possunt prædictum Sacramentum ministrare; non excipiendo de aliis tantum infirmis, non verò de seipsis, casu quo gravi infirmitate detineantur. Sed prædictus Parochus est Presbyter, cui convenit hujus Sacramenti administratio ex verbis S. Jacobi Apostoli; ergo etiam sibi poterit illud ministrare: attenda regula, quòd cui conveniunt verba dispositionis, debet convenire dispositio l. 4. §. *Toties ff. de Damno infecto.*

Octavò: Argumentum forte pro hac opinione est, quòd etiam in Sacramento Matrimonii iidem 19 sunt Ministri, ac suscipientes; siquidem Theologorum, ac Canonistarum communis, & concors opinio est, quòd ipsi contrahentes sunt illi, qui sibi ministrant Matrimonii Sacramentum, etsi ipsummet Sacramentum non consistat in re permanenti, prout Eucharistia, sed conficiatur in usu; ea ratione quia nihil repugnat naturæ Sacramenti Matrimonii, ut idem sit suscipiens, ac Minister; prout latè disputant, & docent Palaeus de *Matrim. part.* 5. *disp.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. Collegium Salmanticense. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 92. Billus in *Hierurg. Sacra Verb. Minister Sacramentorum.* sub *nu.* 171. §. 71. Maltrius in 4. *Sent. disp.* 7. *num.* 60. & seqq. ac aliis omittis Eminentiss. Card. de Laureæ de *Matr. disp.* 13. *art.* 4. per totum. Igitur pari ratione in Sacramento Extremæ Unctionis

nis idem potest esse qui ministret, ac qui suscipiat, cum nulla sit repugnantia in identitate personae ministrantis, ac suscipientis, ex eo quod confertur per unctionem sensuum, quam commodè ipse Sacerdos Parochus, etsi infirmus, sibi ipsi facere potest, & per verba deprecatoria ad Deum, quae pariter convenienter ab eodem valeat proferri ad impetrandam indulgentiam, remissionemque culparum venialium; qua convenientia attempta conjuges conficiunt sibi Sacramentum Matrimonii, exhibendo consensum tamquam materiam, exprimendo eundem consensum per verba, aut nutus sufficientes tanquam formam; & agendo utramque uti Ministri.

Nono. Confirmatur factio viduae, cui Eliseus miraculosè multiplicavit Oleum in valibus 4. Reg. 4. 7. & cum esset onusta debitis ait illi: *Vade, vende Oleum, & redde creditori tuo*; Itaque Vidua ipsa applicuit Oleum per venditionem, & obtinuit solutionem debitorum, ac liberationem; fuitque ipsa minister liberationis ejusdem, ac suscipiens, & fruens eadem liberatione. Peccata nostra sunt debita, quae nobis à Deo remitti quotidie in oratione Dominicali flagitamus, dicentes *Dimitte nobis debita nostra*. Christus Dominus mysticus Eliseus impertivit Ecclesiae suae Oleum Sacramenti Extremae Unctionis. Parochus Sacerdos, etsi infirmus, ac debitis spiritualibus oneratus representans Ecclesiam applicat sibi valorem ejusdem Olei, ungendo sensus suos cum debita forma deprecatoria. Igitur reportat solutionem, ac liberationem à suis debitis, adinstar praedictae Viduae edoctae ab Eliseo per Olei valorem se à debitis liberare. Satis propriè S. Aug. in serm. 206. de Temp. quem refert Cornel. à Lapide in 4. Reg. 4. Vers. 5. *Veniente vero Eliseo Christo Domino Vidua, hoc est Ecclesiae, per augmentum Olei, id est donum gratiae, & misericordiae, vel charitatis pinguedine de peccatorum debito liberatur*. Hic addi potest exemplum Ruth, cui Noemi ejus Socrus, ut pulchra appareret Booz, imperavit ita: *Lavare, & Ungere, & induere cultioribus vestimentis*. Ruth. 3. 3. Hæc Ruth est symbolum animae Christianae deturpatae ob peccata: Ut pulchra reddatur Deo: lavat se in Sacramento Pœnitentiae, Ungit se (si characterem Sacerdotalem habeat) Oleo Sacro in Extrema Unctione; induitque vestes Theologalium virtutum.

Decimo, & ultimo facit nullam extare legem Ecclesiasticam, vel divinam, quae prohibeat Sacerdoti infirmo sibi ministrare Sacramentum Extremae Unctionis; prout extat de non ministrando sibi ipsi Baptismo, ut infra demonstrabitur. Igitur in humaniorem Sententiam est declinandum, juxta verba Honorii Papae III. in cap. fin. de Transact. sic dicentis: *In his, in quibus jus non invenitur expressum, procedas, equitate servata, in humaniorem partem, secundum quod personas, & causas, & loca, & tempora videris postulare*. Humanior sententia est asserere, quod Parochus infirmus possit Oleum Sanctum sibi ministrare, ne perdat fructum, & effectus proficuos illius Sacramenti; attempta qualitate personae characterem Sacerdotali insignitae; tempore mortis, in quo est constituta; & loco in quo deest quilibet alius Sacerdos; & ad quem opportunè non potest vocari. Idem etiam docet Jurisprudencia civilis, nam in l. Semper in dubiis. ff. de Regul. Jur. dicitur: *Semper in du-*

biis benigniora preferenda sunt: & replicatur in l. Ea quae in partes. ff. eod. his verbis: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius est*. Quae verba considerans Gobaeus in Qinario tract. 1. num. 77. subdit: *Sit utrius, ergo melius, honestius, consultius: quod confirmatur in l. Si fuerit. ff. De Rebus dub. dicente: In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet*. Quapropter cessante quacunque irreverentia Sacramenti, & incongruitate circa ejus naturam, institutionem, atque finem, cum agatur de spiritali auxilio, ac beneficio animae, & corporis ejusdem moribundi Parochi, probabilius est affirmare, quod possit sibi ipsi ministrare Extremam Unctionem, quia plenissima interpretatio in beneficiis est facienda, cap. Quamvis. De Praben. in 6. l. Beneficium. ff. De Constit. Princip.

His ita firmatis, restat respondere rationibus, quibus innixi Diana, & Mercerus amplexi sunt opinionem contrariam negativam; quamvis in puncto Juris praedictae rationes parùm stringant, & nihil concludant, Nam

Quo ad primam rationem; quod scilicet verba S. Jacobi satis demonstrant, Sacerdotem ungentem Oleo Sancto infirmum esse debere alium ab eodem infirmo, non inferunt hunc necessitatem, nisi infirmus sit Laicus non habens ordinem Presbyteratus; ait enim Apostolus: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Jacob. 5. 14. Ad hæc verba notant SS. Patres, ac DD. quos citat Bonacina de Extr. Unct. disp. 8. quaest. Unica. punct. 4. num. 7. per numerum pluralem, quod dictum est inducendos esse Presbyteros, ut orent, & ungant infirmum, intelligi numerum singularem; ita ut sensus sit, inducat aliquis ex Presbyteris Ecclesiae; prout in numero singulari intelligitur dictum in plurali ab Evangelista, quod latrones crucifixi cum Redemptore improperebant ei, id est non ambo, sed unus tantum eorum. Marc. 15. 32. & expresse scribit S. Lucas 23. 39. ibi: *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens &c.* At nemo ex SS. Patribus, aut exppositoribus Sacrae Scripturae docet, Presbyterum ungentem esse debere diversum, & omnino alium ab infirmo, quem ungit: sed si detur infirmus, unusque habeatur Sacerdos, is possit Oleo Sancto ungere eundem infirmum periculose decumbentem. Sequitur ergo, quod licet idem sit infirmus, ac Sacerdos, absentibus quibuscunque aliis Sacerdotibus, possit ipse vicinus morti seipsum Sacramento Extremae Unctionis munire; sicut potest seipsum Sacro Viatico communicare; gerit enim vicem duarum personarum, infirmi, ac Sacerdotis; hujus quidem, seipsum ungens, cum sit Sacerdos, imò, & Parochus, ad quem ex officio talis actio Sacrae Unctionis spectat; illius autem, quia verè infirmus est, & proximus morti; & est notissimum in jure, quod una, & eadem persona potest gerere vicem duarum personarum ob diversos respectus; & exercere in se ipsa actus subjectionis, & praelationis, ut docet Glossa in cap. Quaritur. 2. q. 1. & scribunt Abbas, & Decius in cap. Sanè. De offic. deleg. Challaneus in Catalog. glor. Mund. part. 11. confid. 12. fine. Menoch. conf. 902. num. 71. & Gratian. discept. for. cap. 298. num. 2. 26. 46. nec non cap. 718. num. 19. & 20. ubi jura, & DD. cumulat ostent-

ostendentes; quod una, & eadem persona potest considerari, & reputari tanquam duæ personæ, ob diversas facultates, seu exercitia ipsimet competentia; prout in casu nostro Parochus infirmus proximus morti, ungit se oleo sacro, administrans sibi Sacramentum Extremæ Unctionis tanquam Parochus, & recipit idem Sacramentum tanquam infirmus graviter decubens; omni enim infirmo graviter decumbenti competit jus, & facultas recipiendi Oleum Sanctum, & omni Parocho illud ministrandi. Et hæc duæ facultates, duæ functiones in eadem persona Parochi nullam habent incongruitatem, vel inconvenientiam, cum fiant per modum curationis, & medicinæ; nihilque sit incongruum, aut inconveniens, ut Medicus sibi ipsi infirmanti eligat, ac porrigat medicinam; eamque à seipso suscipiat, ut dictum est supra.

Quod ad secundam rationem Dianæ asserentis, quod substantialiter mutaretur forma quo ad significationem verborum, quia non est idem dicere: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*; Et *Indulgeat tibi quidquid deliquisti*, sicut mutaretur in baptismo si quis diceret *Baptizo te* &c. quo inquam, ad hanc rationem, negatur assumptum; siquidem, ut patet ad sensum, cum hoc Sacramentum Extremæ Unctionis conficiatur per viam orationis, & per verba deprecatoria, hæc non mutant significationem substantialem formæ, quæ implorat à Deo remissionem culpæ per sensus inunctos commissarum, quamvis proferantur ab ipso infirmo, si sit Sacerdos; convenit enim etiam ipsi infirmo Deum deprecari pro remissione suarum culpæ. Neque adaptari potest exemplum baptismi, in quo mutatur forma substantialiter, si quis dicat: *Ego baptizo te*; quandoquidem magna est differentia inter baptismum, & Extremam Unctionem quo ad unius, & alterius significationem. In baptismo significatur generatio spiritualis; nullus autem potest generare seipsum, & ideo neque seipsum baptizare, ut ait Innocentius III. in cap. Debitum. 4. de Baptismo, his verbis: *In baptismo quippe illa spiritualis generatio celebratur, de qua veritas ait; oportet vos nasci denuo; quia nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum celorum. Sicut ergo in carnali generatione, quo proles ex viro, & femina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur: sic & in Sacramentali generatione, qua soboles ex aqua, & Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse, qui spiritualiter generet, & alius qui spiritualiter generetur: quod fuit disputatum in meis Decisionibus de Baptismo Decis. 29 XXXVI. Et idem dicendum venit de Sacramento Pœnitentiæ, quod confertur per modum iudicii, in quo alius debet esse Iudex, & alius reus, & ideo nemo potest seipsum absolvere Sacramentaliter à peccatis, sicut non potest seipsum baptizare, ut latius disserit Mastrius in 4. Sent. disp. 7. num. 63. Verum non ita argumentandum est in Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis; nam cum Eucharistia ministraretur per modum cibi, potest Sacerdos eam sibi ipsi ministrare, etiam extra Missam, absente alio Sacerdote, ut concedit Diana in Coordinato tom. 2. tract. 2. resol. 39. ea ratione, quia naturale est, ut quis ministret sibi alimentum, & seipsum cibet. Eadem ratione potest Sacerdos infirmus, absentibus quibuscunque aliis Presbyteris, seipsum Oleo Sancto linire; nam talis unctio fit per modum me-*

dicinæ sanandas reliquias peccatorum, & per viam orationis, ac deprecationis ad Deum; quilibet autem Medicus potestatem habet dandi medicinam etiam sibi ipsi ægrotanti; & quilibet fidelis, præcipue Sacerdotio insignitus, habet facultatem orandi, & deprecandi Deum pro culpæ remissione.

Quo ad tertiam rationem, in qua Diana se fundat, nempe quod Sacramenta, quæ præficiuntur ipso usu requirunt Ministrum diversum à suscipiente; pariter respondetur, non esse veram, nisi in illis Sacramentis, quorum natura requirit præsentem diversitatem, ut dictum est de Baptismo, & de Pœnitentiæ, & dici potest de Confirmatione, & de Ordine; quæ quidem duo Sacramenta sunt homogenea cum Baptismo, tum quia, & ipsa imprimunt characterem; tum etiam quia gratia sanctificans, quæ datur per Confirmationem, est ejusdem speciei cum gratia baptismali, & facit eundem habitum cum illa, ut doctè declarat Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacram. Confirm. disp. 3. à num. 74. & seqq. & per consequens requirit ministrum diversum à suscipiente, ut necessarium est in baptismo Similiter Sacramentum Ordinis elevatur ordinatum ad dignitatem, & potestatem Ecclesiasticam pro aliis Sacramentis respectivè conficiendis, & ministrandis; nemo autem à seipso elevatur, sed à Deo mediantibus Episcopis, Dei ministris, debet elevari juxta illud Apostoli ad Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: quem locutus explicat Cornelius à Lapide dicens: scilicet quod debeat non se ingerere, & intrudere, sed assumi, & eligi à Deo ad Sacerdotium, sicut electus est Aaron, ejusque posterii. Igitur manifesta est ratio, cur nemo possit vel confirmare, vel ordinare seipsum; sed suscipiens Sacramenta Chrismatis, vel Ordinis debeat ea ab alio Ministro suscipere. At diversa est ratio in Sacramento Extremæ Unctionis, quod ad medendum animæ per viam deprecationis ab habente characterem Sacerdotalem confertur & nihil implicat, quod consistat in usu, & non in re permanente; quandoquidem etiam Sacramentum Matrimonii, quod tale est, habet unam, & eandem personam pro ministro, & suscipiente, nempe conjuges ipsos contrahentes, qui sibi ipsis illud ministrant, vel mutuo, secundum aliquos DD. vel utrumque sibi, secundum alios Theologos, ita tamen ut ambo integrent unum ministrum, & verificetur in ipsis, quod eadem est persona ministrans, & suscipiens. Mastrius in 4. Sent. d. disp. 7. num. 60. & ante illum Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 6. quapropter incongruum non videtur, ut etiam in Sacramento Extremæ Unctionis, etsi relevante suum esse in usu, aliquando eadem persona sit ministrans, ac suscipiens, veluti Parochus moribundus, destitutus assistentia cujuslibet alterius Presbyteri; si seipsum Oleo Sancto, servata forma Ritualis Romani, liniat.*

Sed dicit aliquis, quomodo poterit talis Parochus ministrare sibi Extremam Unctionem tuta conscientia contra opinionem duorum Theologorum Merceri, & Dianæ, si inter propositiones damnatas ab Innocentio Undecimo hæc prima in ordine est, quæ asserbat: *Non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta ruriore*? Respondetur, posse tuta conscientia prædictum Parochum moribundum inungere seipsum Oleo Sancto

cto duplici motivo : Uno, quia hæc opinio affirmativa est probabilior, & tutior, siquidem fulta est pluribus, ac fortioribus rationibus, nullum continet errorem, & à nullo textu canonico est damnata; quæ tria faciunt opinionem probabilior-
 34 rem. Bordonus de Opin. prob. cap. 5. num. 37. non autem major numerus Doctorum, Mascard, de Probat. concl. 1143. num. 3. & 5. Thyrsus Gonzal. de Recto Usu opin. probab. dissert. 13. n. 105. ubi DD. concordantes. Altero, quia ipse Parochus moribundus est in extrema necessitate, cum non habeat alium Sacerdotem, à quo sibi ministratur Oleum Sanctum, & casus iste non comprehenditur in propositione de eligenda opinione tutiori. Cardenas in Crisi Theol. Dissert. 2. num. 5. & Dissert. 4. num. 48. & 49. ubi reddit hanc rationem; non enim dicimur relinquere, nisi quæ possumus adhibere; idcirco absente quocunque alio Presbytero, ne moriatur absque hoc Sacramento licite illud sumit à seipso; nam in extrema necessitate etiam tenuis probabilitas opinionis sufficit, & qui cum ea ministrat Sacramentum non peccat, ait Cardenas de Probabilitate tract. 1. disp. 15. n. 343. Facit regula illa, quod ægro periclitanti potius est adhibere medicinam dubiam, quam nullam, saltem si non sit obfutura. Sanchez lib. 1. Moral. cap. 9. num. 39. & Gobatus in Experim. Theol. tract. 2. num. 36. & 37. maxime cum agatur de medicina spirituali pro anima ipsius moribundi; attendita alia regula docente, quod ibi non intervenit temeritas presumptionis, ubi est diligentia pietatis. cap. Si nulla. de Consecr. dist. 4.

DECISIO LXXVI.

ARGUMENTUM.

Firmatur, quod Oleum Sanctum non est ministrandum homini mortuo, sed tantum Viatori, ac viventi. Præmittitur definitio, ac divisio mortis, nec non causa ejus intrensæca, nempe extinctio caloris naturalis, & humidi radicalis. Si Adam non peccasset, homines non morerentur, quia edentes de fructu Ligni Vitæ positi à Deo in Paradiso terrestri, se semper sanos, ac felices servassent. Quæ sita plura, ac curiosa de eodem Ligno Vitæ. Explicatio septem ætatum hominum. Rationes sex, ob quas mortui sunt incapaces Extremæ Unctionis. Objecta duo, & eorum resolutio, quod olim mortui Oleo Sancto linirentur.

SUMMARIUM.

- 1 Subjectum Extremæ Unctionis duplex, Proximum, & Remotum; & quale sit utrumque?
- 2 Conditiones quinque necessariae in recipiente Extremam Unctionem.
- 3 Homini viventi datur Oleum Sanctum, non autem mortuo. Et num. 21. & 25.
- 4 Mortis definitio. Et quotuplex sit mors?
- 5 Vita hominis consistit in calore naturali, & humido radicali.
- 6 Calor naturalis in homine quomodo extinguitur?

- 7 Humidum radicale an consumetur à calore naturali?
- 8 Causa mortis naturalis quanam sit in homine?
- 9 Colerici cur citius moriantur?
- 10 Adam si non peccasset, homines non morerentur. Et cur?
- 11 Lignum vitæ creatum à Deo, cur dictum ab Hebraeis Lignum Vitæ?
- 12 Immortales an fuissent homines esu Ligni Vitæ?
- 13 Homo comedendo de Ligno Vitæ longo tempore vixisset, sed non infinito.
- 14 Aeternum quid significet in Scriptura Sacra?
- 15 Mosayca Lex quomodo esset servanda in æternum?
- 16 Lignum vitæ in Terrestri Paradiso an esset unum, vel plura?
- 17 Aetates hominum quæ? & quot sint?
- 18 Senes ex parvis passionibus moriuntur.
- 19 Mors senum decrepitorum sine dolore.
- 20 Latitans ingens causat improvisam mortem.
- 21 Mortui ob sex rationes sunt incapaces Oleo Sancto.
- 22 Mortui antiquitus Oleo Sancto ungebantur. Et num. 25.
- 23 D. Lucas à Achery; & D. Joannes Mabillon Monachi Congregationis S. Mauri in Gallia Auctores seculorum Benedictinorum.
- 24 Mortua filia Regis Francorum linitur Oleo Sancto à B. Theodorico Abbate, & reviviscit.
- 25 Mortuorum unctio antiquitus non erat Sacramentalis.
- 26 Mystica significatio Unctionis mortuorum.
- 27 Infirmi olim oleo lampadarum, vel simpliciter benedictio ad solam curationem ungebantur.
- 28 Monachi, ac etiam Abbates olim Ordinibus Sacris non initiabantur.
- 29 Simile non est idem.
- 30 Facta multa Sanctorum sunt admiranda, non imitanda.
- 31 S. Ebba Abbatissa, ac ejus Moniales nasum, & Labia sibi obirunt, ad Virginitatem servandam.
- 32 Infirmo moriente ante completas unctiones Olti Sancti, descendendum.
- 33 Conditionaliter dandum Oleum Sacrum infirmo, quem expirasse dubitatur.

Statim abunde hucusque egimus de Ministro Sacramenti Extremæ Unctionis; nunc differendum est de illius subjecto; quod quidem est duplex, proximum, & remotum. Mastrius in 4. Sent. disp. 6. num. 103. Subjectum proximum sunt ipsa sensuum organa immediate inungenda, de quibus egimus supra Decis. LXXVI. & Decis. LXXVII. docendo numerum, & ritum Unctionum in ministrando hoc Sacramento faciendarum. Subjectum autem remotum, secundum omnes Theologos, ac Summistas, & Homo Viator, Baptizatus, Adultæ ætatis, Infirmus, ac morti probabiliter proximus, nec non Pœnitens, & dolens de peccatis. Idem Mastrius ubi prox. nam. 104. Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 4. disp. 42. sect. 1. Bonacina de Extr. Unct. disp. 8. quest. Unica, punct. 5. Emin. Cardin. de Lauræa de eod. Sacram. disp. 11. art. 12 & passim omnes. Igitur quinque conditiones requiruntur in homine, ut sit subjectum capax